Frid. Zamelii

EPIGRAMMATUM
Liber XV.

ELBINGÆ
Typis BODENHAUSIANIS
Anno M. DC. XLIII.

Ad Cleio.

HInc procùl ad Rhodanum patriis impellimur
Euris.
Accipe me gremio Chloris amica Tuo.
Hæc utinam possem pro Te mea dicere Cleio,
Ac foret exigui temporis illud iter!
Nil ego promoveo Patriæ de compede rerum:
Quid tamen, ingenio si datur ire, querar?

Hugoni Marcello Asceclæ sive Asclæ de Sorio, viro Illustri ac Magnifico.

NOndum hiems decesserat, sed ejus asperitatem nonnulla cœli clementia fregerat: quum eodem mecum invitata Jove conjux mutato cum vernâ agrorum hilaritate Urbis situ in apertos campos progreditur, ac quà protritior callis in apricum ferebat colliculum sex violis incidit, meq; iisdem advertit. Curiosior ego per proxima oculos circumferens bis totidem conspicari flosculos: tum mihi uti cum Romulo de augustiori auspicio gratulatus eò magnopere gestire, quòd in violis peperisse mater ajebat, ex me cùm illud nomen adepta esset. Facilè persvasus sum nondum ephebos egressus, sanctissimâ etiam in lubrico parentium fide apud liberos. At postquam momenta rerum ætate firmior contulissem; vidi eosdem mihi natales esse, quos Universi constituit Dictator Iulius. Verùm utcumq; aut ubicũq; enixa sit illa, gratias egi Superis, qui me iterum vertente anno in hanc amœnitatem salvum felicemq; conservassent. Earumce rerum ergò bonas etiam preces precatus sum, ut isthunc animi vigorem ad extremam usq; senectutem integrum vellent, familiam sospitarent, pariterq; hos, qui præter eam nobis sunt conjunctissimi. De illâ mitto: pauca de amicis loquar. Ii sunt, quibus sine nec commodè sapiens nec jucundè vitam agit, quamdiu extra deorum consortium his rebus fruitur; felicitasq; somnium est. Sed Te præcipuè respicio, Nobilissime Celtarum, mi Ascecla: qui raro, nisi in domo Tuâ, exemplo à literarum studiis inter arma respiras, rursum ab armis ad literarum otia regrederis, nihil ab animi contentione remittens in utriusq; curæ

bivio; omnium sincerus cultor, Tuas qui artes & honestatem colunt. Amicitiam Tuam non ambii, nec ausus: quòd neq; mihi oportunitas daretur, neq; Tibi utilitas ostenderetur, si ad eam me conferendi consilium suscepissem. Tu levi officio illectus in meis numquam visi neq; umquam videndi nomen tuum ultro professus es. Symbola amoris Tui ac pignora apud me sunt. Quæ quamti faciam, non dico: prolixioribus literis omne meum gaudium de Tuâ in me voluntate ac studio exortum in sinum Tuum jam effudi. Quo exsolvam? Cùm non sit, quo possim; grati animi indicio veniet hic fœtus meus fortean postremus eorum, qui eamdem cum Pallade ortûs nobilitatem sibi vendicant: nisi quòd ista deum, illi hominem parentem habent. Ita penè decrevi, postquam quinquagenario major de lucro vivere incipio: etsi omni literaturâ atq; his sermonibus, qui inter pedestres sunt, mihi non interdixerim. Sed eum, à quo digressus sum, emancipo: Tu adrogabis sine sumtu, sine molestiâ apud Te futuram sobolem, etiam eò gratissimam, quòd pater ego naturâ fuerim. Præterea autem superstitionem ad hibui, Veneri non minùs Gratiisq; eam nuncupando, ab harum quoq; commercio Tibi commendaturus id, quod Poëtæ æquè atq; parentes amant tenerrimè. Vale, idq; cura mi Asecla. Dabam Elbingæ Calendis Aphrodisiis anno s. n. M. DC. XLIII.

Illustritatis Tuæ
observantiss.

Frid. Zamelius.

Ad Venerem.

DVm Superis litat omnis ager, placidusq; revisit
Iupiter hiberno luctatas frigore terras,
Luxq; oculos jucunda ferit, rerumq; venustas
Humanos animos studiis majoribus implet;
Et nos Phœbigenæ cœlo meliore fruamur,
Alma Venus, quacumq; solo dominaris & alto,
Quà pecudum campis se grex effundit apertis,
Et volucrum voces pastorum imitantur avenæ:
Quà mare velivolum Nerëia turba pererrat,
Aut tener exiguo se gobio fonte tuetur.
Iam venit, ac venit lætis invisa senectus,
Diva potens: aliquà differ morosius ævum:
Et mihi, quo fueram nondum vergentibus annis,
Quo me non penitus voluit regnator Apollo
Defectum: hoc animi, Phœbo simul, assere robur,
Hoc nullo fractum morbi tentamine corpus.
Portio nos Vates magnis sumus addita divis,
Ad quos ætherii veniunt spiracula mundi.

Ad Charites.

DVlciculæ Charites, Vos semper amica sororum
Copula ternarum, nasci Iove digna propago,
Vos quarum cecini tactus præcordia thyrso;
Quicquid id est, quo res colui divumq; virumq;
Vester honos Nimfæ est. Vos pellexistis euntem
Primùm humili pavidoq; gradu, præsensq; fuistis
Numen ad annosi senium declive Poëtæ.
Sumite, quod vestrum est, & erit dum carmina condam.
Heic ego nunc pando, Vatum quod nemo priorum
Vulgat, & est nostro promissum seriùs ævo.

Tu Charitum fies Schurmannia *prima mearum*,
Tu Memorata *dein, Tu* Corbiniana *deinceps.*

Ad Musam.

INvenies mea Musa virum, cui mitteris, inter
Arma vel innocuos organa nostra libros.
Illud an hoc coràm studium tractârit Aseclas,
Ne refer à campo liminibusq; pedem.
Quovis grata loco, quâvis accesseris horâ,
Telaq; Te visâ ponet amicus Eques.

Ad Catharinam conjugem.

CAthara, vides illud jubar? mea Cathara
Viden', animum ut diffundat hæc serenitas?
Quin imus extra turbidum pomœrium
Ad proximorum fontium crepidines.
Cave quod paras, hoc noverit salaputium.
Hærebit, occupabit inter lacrimas
Nisi duxeris. Nisi Tibi grave, simul ambulet.
Sed gerula ponè sit manus, si lassior
Prolixitate viæ velit gestarier.

De Venere.

CEsserat acre gelu: nec erant sine frigore noctes,
Atq; aliquis tepidis Solibus horror erat.
Ver erat: & violas rarus jam cespes habebat:
Ibat ad irriguos & juvenilis agros.
Et Venus in silvis & Amor faretratus agebant:
Purpureum violæ cùm videt iste decus:
Cùm Veneris teneræ liverent frigore malæ,
Et visa est violas inde referre Venus.

Siccine

Siccine mater, ait, violas imitaris in algu,
Æmulaq; es rubris Sole calente rosis?
Objurgans puerum voluit Cytheræa videri,
Quicquid habent flores, antè fuisse suum.

Eadem in violis.

MVlciber ad Venerem, postquam procul ire parasset,
Dic ubi sis, inquit, vere futura novo?
Aspera jam inclinârat hiems. Cytheræa marito,
Inveniar solis, reddidit, in violis.

Amor in rosis.

ALma Venus dulci requiêrat lumina somno,
Cùm procul aufugit deliciosus Amor.
Evigilans puerum terrâ quæsivit & alto,
Quem tamdem Paphio flore jacere videt.
Obstupuit, sensimq; suos missura dolores,
Et quò non abii, dixit, amore Tui?
Quos, rogat ille, locos quas partes mater adisti?
Cuî Venus: Ætnæos Lemniacosq; lares.
Illeic quære virum, dixit puer, heic Tibi natum
Mater, in hoc regnat rure Cupido Tuus.

Mars in liliis.

PRessera̧t incumbens albentia lilia Mavors.
Vidit eum lætam Cypron itura Venus.
In nullâ dixit jacuisse venustiùs herbâ.
Quæsivit caussam, qui comes ibat, Amor.
At Cypris: hæc rerum facies est æmula nostræ,
Et niveus flos & sanguine tincta chlamys.

De

De Minutio.

MAledicere mihi dicitur Minutius,
Minutius Vatum omnium deterrimus,
Idem omnium tenebrionum acerrimus.
Nihil imprecor: sed quæ malignus invidet,
Mihi firma sint deûm favore cœlitum.
Si quæ imprecatur, à me in illum deprecor.

Ad Cœlium.

VOlcani conjux Venus est justissima, Cœli:
Et sine Volcano nil foret ipsa Venus.
Sed claudus, Cœli, est. Cæcus quoq; Cypride natus.
Quod fingunt Vates non ratione caret.

De Mulcibere.

IVpiter Alciden positurus in arce deorum
Mulciberem puncto vidit abire suo.
Alcide, quâ re potuisti lædere fabrum?
Cum clavâ & cinctus pelle leonifer as.
Quod cudunt fabri, Te neglexisse ferebat.
Hoc meruit, dixit Iupiter, esse deus.

Venus à Diomede vulnerata.

SIt mihi, qui gemini matrem deformet Amoris,
Vt Diomedéâ saucia facta manu est.
Non semper facies expers formosa dolorum est.
Prostat & in lacrimis integer oris honos.

Cupido saucius.

LÆserat invento digitum silice Cupido.
Flevit, & hoc matri est questus Acidaliæ.
Fide puer, dixit genetrix ubi vulnera vidit;
Nam graviùs, quem Tu fixeris, ille dolet.

In

In Chionen.

N*Ata annos Chione decem sive nocte propinquâ*
Ad molles abeas thoros, sive luce diei
Infusâ evigiles, patris quatuorq́ requiris
Fratrum suavia. Iam tenes nectar illud amantum ab
Matris indole: quæ suum suaviata parentem
Et fratres pariter domi est, deinde juncta marito
Suaviata manum est virorum ampliusq́ trecentos.
Quid Tibi Chione velis, mene quærere credis?
Iam fassa es Chione, & diu mater antè professa est.

De Peninnâ puellâ.

D*Otatis aliis sine dote Peninna relicta est.*
Pro dote huîc faciem dixerat esse pater.
Et formosa fuit, quales hac dote probantur:
Distulit at genitor, nec tulit illa moras.
Accessit nauci pueros in ponte sedentes.
Nunc pater invenit, cuî sine dote daret.

De Gelone.

F*Requentat omnium Gelo convivia:*
Applaudit his, quæ dixerint quæ fecerint:
Auscultat itidem, absentium si quem oderint.
Hunc salibus, hunc leviore pungit scommate.
Si prona sustulére risum pectora,
Graviore verborum ferit convitio.
Nec hoc modò, sed & rem facit latrunculis,
Et improbâ turriculâ, & omnium æs hiat.
Paterfamilias bonus, homoq́ urbanus est.

De XII mensibus & signis Zodiaci.

BIs sex sunt menses, totidem cœlestia signa.
Post Ianum Februus, Mars, Cypria, Majaq; & Hera,
Et IulI Augustiq; jubar, tum Quatuor imbres.
Hydrochoos, Pisces, Aries, Bos, Copula, Cancer:
Hinc Leo, Virgo, Bilanx, Pungens, Chironq;, Caperq;.
Ter denos Venus, Hera dies & Septimus imber,
Totq; November habet. Quisquis super, auctior uno est.
Solibus expletur viginti Februus octo:
In bissextili lux ampliùs additur anno.

Campus Elysius.

UTi ducimur rerum cupidine, ita senes
Puerique persvademur îsdem copiis
Affluere cœlitum domos. Sapientiæ
Qui amplectitur studium, beatis sedibus
Mentes quietas indigentes nullius,
Vt æquius, contribuit. Elysium nemus
Puerilis ætas hoc locorum collocat,
Vbi crepitacula tintinunt, sonant fides
Calamiq;, abunde porriguntur saccara,
Et quod bibitur onyche nitente, melleum est.
Est & ubi natu grandiores fingimus
De dIs inepta & paria sæpe affaniis.

De Gallœcâ.

SÆpe levis caussa est, de quâ Gallœca maritum
Multat, & insanas mittit in ora manus.
Sæpe & prosubigit conantem surgere frustra,
Cùm lacerat vestes dilaniatq; comas.

Si quid opus tamen eſt numo, ſit blanda marito,
Et rogat à miſero, ſumere quod poterat.

Tapes Perſicus.

GEntis Achemeniæ veniunt textura tapetes.
Villoſus Ligurum nunc jacet amphitapes.
Certet Hetruſca manus, Tigridi pugnaverit Arnus:
Memnonias nihil eſt Tuſcum opus ad tapedas.

Tapes Indicus.

VIſa mihi tapis eſt hyacinthina. Miſerat Indus
Illud opus textor. Medos præpono tapetas.

In Menippen.

ESſe miniſtrarum Veneris potes una Menippe.
Nam, quod credideras, non potes eſſe Venus.
Et famulæ non ſunt formoſæ Cypridos omnes:
Nec Tu formoſi pars venis una gregis.
Diſcitur à turpi facie diſcrimen honeſtæ,
Defenditq; ſatis ſe Venus ore Tuo.

De Marullo.

OCcidit infami ſartor brevitate Marullus,
Peneq; contemtum fata cadentis habent.
A tabulâ vacuum conjux motura catillum
Non grave de manibus fortè remiſit onus.
Ille viro impactus vocem ſuppreſſit & auras.
Laux eadem victum præbuit atq; necem.

De Sole.

TRes ſimul egreſſas in mollia rura puellas
Vere novo Titan viderat ipſe novus.

Phyllis erat simo, sed adunco Gellia naso,
Lusca Lyris: pariter turba ea fronte brevi.
Quid non præterea Sol, qui videt omnia, vidit?
Nec vitio cervix nec caruêre manus.
Lumina contraxit, condam mea sidera dixit:
Luce meâ crimen turpia majus habent.
Sic ait, & toto diffudit in æthere lumen.
Leucothoën, aut huîc viderat ire parem.

In Eurydicen.

FOrmosa Eurydice es, vel hoc videris.
Quod cernam, minimùm liquere dico,
In formis puto Te quotidianis.
Si quid præterea potest videri,
Quod frontem & cilium & genas venustet,
Hoc à pixidibus Tuis novenis,
Hoc à candidulis Tuis serossis,
Hoc à purpureis Tuis venenis,
Et fuliginibus Tui camini est,
Hoc à commolitis decem farinis,
Quæ unà isto in myrothecio fracescunt.

Ad Gulielmum Foconium.

SCote Foconiade patriis dilecte Napæis,
Ritè Calydoniam tangere docte lyram:
Ionstoni Reges & Echlini legimus Ova:
Et Satyrum hunc unguem vidimus, unde leo es.
Non minor es tamtis in eâdem gente Poëtis.
Hoc animo, hoc infer Te pede, major eris.

In Ponnatium.

DEcem Poëtas Marculus Poëtifex
Heri excacavit: in quibus Ponnatius

Iuris

Iuris peritus, ut puto nusquam editi,
Nuper Heliconem fortè devio pede
Ingressus, extremâq; Phœbum lineâ
Silvasq; & antra fontiumq; margines
Intuitus. Ille opus arduum & perutile
Inceptat. Oddones, Myandros, Hirpios,
Lyridas, Menippas, Calviasq; ac Mallias
In versibus Zamelianis explicat,
Hoc, illo, & altero alteroq; anagrammate.
Tormenta mille, an tot potiùs ineptiæ,
Chartæq; dignæ Meviano pulpito!
Adeò miser se conficit Ponnatius
Hanc eximendo illam assuendo literam,
Modò hoc modò illud exputans vocabulum,
Vti si his diebus latus utrumq; fregerit
Novus maritus in suâ Pappoide.
Has ubiubi nugas viderit Zamelius,
Inter aphedronis collocabit spongias.

Ad Manium.

CRas veniam Mani: meus unà Dachius ibit.
Vir Tibi visus hic est urbe, domiq; meæ.
Villice, quid pones? simul illud villice quæres.
Villice, da nobis lac butyrumq; recens.
Quæres de dapibus; quæ non sine cæde parantur.
Numquid ofella Tibi est Puteolana? sat est.

Ad liberos suos.

QVod puer audivi, vobis ego trado puellis.
Nobilis è veteri Pruscorum gente Samiles
(Corrupti vulgò annales dixêre Namilen)
Cultor agri, Pronios quà radit Surgana colles,

Dum

Dum res ancipiti geritur Mariana Gradivo,
Arma fidemq; virûm tacitâ pietate secutus,
Certus opis cùm dira fames pressisset egentes
Christicolas, ideoq; suis infanda Boruscis
Supplicia expendens verubus religatus ad ignem,
Et Germanorum missus semiustus ad arces,
Autor erat generis nostri: Tustinus *ab illo*
Proximus; hoc Laurens *genitus, Laurente* Tilomas.
Hinc Clemens, Thomasq;, *&* ter *repetita* Jacobi
Nomina descendunt serie crescente dierum.
Ianus *erat, quo sum proavo satus. Ille relicto*
Primus agro patriam nobis migravit in urbem.
Hic genitor Simonis *avi, fratrumq; duorum:*
Quos colui. Pater inde, meus cognominis, *ortus.*
Palladis exsortes omnes, gens corpore firmo,
Et cùm bella forent, studiis asperrima belli.
Nesciat hæc impune aliquis mea scripta legentum,
At vos est æquum vestrosq; tenere nepotes.

Ad Appianum & socios.

D*E Schnurfio quæ diximus novendecim*
Ecclesiaste rusticorum, integriùs
V*t noveritis Appiane, Callia,*
Ac Tu Quirine ea solicitiùs exigens,
Quasi. Sed habete: Extra urbis agrum Pastor est, 1
Castus equidem, utpote sordidatus sordidus. 3
Extra Orbem & hoc cœlum meorum fascium, 2
Est aliquid in sinu venustæ Drusidos,
Est aliquid amplius, quod ambit improbè,
Hinc Optimatum & hic & ille prenditur:
Hinc caseos & hædulos fert Schnurfius,

Indignus

Indignus illo quo coaxat pulpito,
Indignus illo quo fovetur flumine.
Ad rusticos nihil ille nostros pertinet;
Nec pertinebit ut puto ille Schnurfius.

Ad Cynthiam.

O*Ctennis ludum fac Cynthia filius intret,*
Cumq; sui paribus tiro decorus eat.
Instrue formoso, juvat hac ætate, libello;
Et matutino, cùm parat ire, cibo.
Ne differ, tritumq; puta: Malè grandibus Hansis
Hæc tradi, quorum est Hansipor antè rudis.

In Gelliam.

E*St qui Te dicat speciosam Gellia. Differs*
Exiguo: dici nam specuosa potes.

Ad Sextulum.

P*Aullus habet fundos: si quæris Sextule quamtos?*
Quamtos una sibi sumere villa potest.

In Malliam.

M*Allia totius traducta est scommate nasi.*
Surgit enim in tumulos asper, habetq; sinus.
Dixerat Antimachus (salis huic & splenis abunde est)
Da possim in sinubus virgo jacere Tuis.
Mallia de gremio dictum intellexerat illud.
De nasi scrobibus mens erat Antimachi

De ICto & Medico.

E*Vagoræ Medici Circellus Rabula caussam*
Egerat: hunc medicâ juverat ille manu.
Clinicus indomitæ captabat præmia linguæ,
Causidicus Medici. Falsus uterq; fuit.

Patronus Medicum defendere deinde negabat.
Patrono Medicus deinde negabat opem.

De Christinâ.

NOn bene par impar thalamo conjungitur uno.
Non bene difficili est juncta puella seni.
Cum sene transegit noctem Christina marito:
Cum sene pòst nullâ nocte dieq; fuit.
Maluit absq; domo Geticos habitare Triones,
Nudaq; pastorum vivere cum pueris.

De Istulâ.

SIcanius Phario certaverat Himera Nilo:
Venerat in litem Vandalus Isla parem.
Quæsitum, ex illis Cereri qui gratior esset.
Illum amat, istum amat, hunc asserit alma Ceres.
Sufficit iste Asiæ populis, alit ille Latinos,
Hic Orbem immensum: sic ait ipsa Ceres.

Ad Lectorem.

IAm tertiâ, Lector, meorum Epigrammatum
Donavimus Te pempade: at si computes
Hac quicquid in populum rubricâ est editum;
Epigrammatum tres decades extant amplius.
Heröas etiam & arva & æquora cecini.
Vt desinam Poëticorum lusuum,
Alia admonent: ætas, & inimicum otio
Negotium. Satis inde famæ & nominis:
Nisi si deorum cultui hæc accessio est,
Nisi si hostium nescit modum protervitas.
Minimè tacendum in caussâ utrâq; putavimus.

(o)